

Ios novam voluntatem habere præter eam simplicem volitionem; quam in omnino primo signo supponimus habere dandi omnibus gloriam: ex vi cuius illis etiam postea confert media sufficientia ad salutem, quatenus talia.

Tertio tandem arguit Vasquez disp. 95. cap. 2. contra modum explicandi hanc negativam reprobationem à Scoto positam r. dicit. 41. ait, quod in eo instanti, in quo primo offeruntur Petrus, & Judas divinæ voluntati, vult Petro gloriam, & gratiam, & nihil vult Judæ; at hoc est falsum, quia si loquamur de voluntate antecedenti, & complacentiæ, Deus in illo primo instanti vult Petro, & Judæ, ut sint æquales natura, gloriam, & virtute hujus generalis affectus contulit etiam Judæ auxilia ad salutem necessaria; malè ergo hanc negativam reprobationem Scoto explicuit. Respondeo, nunquam Doctorem negasse, in illo primo omnino signo Deum habuisse etiam circa reprobos simplicem affectum salvandi illos, quem conceptis verbis admittit r. d. 46. imò in illa eadem questione, cum ait, quod crudelitas esset, si Deus vellent, aliquos damnari sine culpa, sed solus agit de voluntate efficaci dandi, vel tollendi gloriam, & ait, neutrum habuisse Deum pro eo signo circa reprobos, cum quo fit, quod aliud antecedentem, ac simplicem voluntatis affectum de omnium gloria, tam prædestinatorum, quam reproborum equaliter; ac semper ab æterno habuit antè omnes alios prædictos voluntatis actus ad eundem quod conjungendo simul actus efficaces, & inefficaces divinæ voluntatis ad divinam providentiam spectantes circa prædestinatos, & reprobos, decreta Dei sunt hoc modo disponenda, ut in primo signo rationis voluerit, simplici affectu omnibus gloriam, & tunc quoad actum efficacem negativè se habuerit circa omnes; in secundo signo rationis antecedenter prædestinatos elegit ad gloriam efficaciter, in quo signo circa reprobos nullam novam habuit voluntatem præter eam simplicem, quam in primo signo habuit dandi omnibus gloriam, & sicut negatio actus efficacis dandi gloriam in primo signo non impedit, quin aliquos efficaciter eligeret in secundo signo, ita pariter eadem negatio pro aliis perseverans in secundo signo non impedit, quin & ipsi possint in alio signo eligi efficaciter ad gloriam, quia, ut sepius dictum est, illa negatio actus efficacis, seu electionis ad gloriam non est exclusio ab ea, sed mera suspensio efficacis inclusionis, in tertio signo Deus electis dedit auxilia congrua, & efficaciter pro consecutione gloriæ, eis efficaciter decreta, reliquis verò sufficientia solum ex vi generalis voluntatis, quam in primo signo habuit circa omnium salutem; in quarto tandem signo electis prævia eorum finali perseverantia gloriam pro meritis largiri efficaciter decrevit, non electis verò, prævia eorum peccatis, ac finali impigritia, eos positivè reprobabat à gloria, & ad penam destinavit, & quidem ad penam damnii, qua consistit in sola privatione debite beatitudinis supernaturalis, si solum habeant originale peccatum, ac etiam ad penam sensus, si proprium actuale habeant; quibus signis explicitis integri, & absoluti intelliguntur actus omnes, ad divinam providentiam spectantes circa electos, & reprobos, & optimè explicatur, quomodo Deus neminem antecedenter, & ex sua intentione à gloria excluderet, sed solum post prævia peccata.

Dubitatio Secunda.

267 **A**ltera dubitatio, circa negativam reprobationem, versatur circa, quid est, an scilicet importet solum negationem, & suspensionem actus electionis ad gloriam, an verò saltem concomitantè addat actum aliquem positivum. Suarez lib. 9. de reprob. cap. 4. censet, Deum ita in illo signo non elegisse reprobos ad gloriam, ut positivum actum voluntatis habuerit non eligendi illos, seu non volendi eligere, quo pacto etiam interpretatur Scotum lo. ci. nam in r. d. 47. expressè ponit hunc actum sub probabilitate, ubi illum vocat reflexum, inde cum d. 41. ait, negativè se habuisse Deum, intelligit quoad actus directos, tamen hæc ipsa negatio voluit esse per actum reflexum, & ratio est, inquit, quia licet voluntas possit non velle hoc, aut illud per solum suspensionem actus, ut in nobis Philosophi admittunt, tamen tunc illa omniisio, seu carentia actus est tantum virtute, interpretatè voluntaria, quia scilicet voluntas potest velle, & non vult cum advertentia; si autem accedat voluntas positiva, non agendi, vel non eligendi, jam illa omniisio erit directè, & formaliter voluntaria, at hic modus agendi, vel non agendi ex se perfectior est; ergo probabilius est, ita se gerere Deum in nõ eligendis reprobis, maxime quia illo actu infinito voluntatis sua potest Deus formaliter, & expressè hæc negatione velle sine ulla mutatione, vel additione, seu eodem, quo vult cætera; Ita etiam opinatur Smifinch. qu. 11. cit. concl. 5. ubi ait, quod negativam hominum reprobatio vocatur non electio eorum, adeoq; formaliter non dicit actum positivum, quem tamen habet concomitantem, quo fit, ut etiam formaliter non sit actus positivus, quia non electio formaliter non dicit actum positivum,

sed negationem actus, quod Scotus indicavit r. d. 41. qu. 1. p. 1. potest aliter dici, & d. 19. q. 1. s. in ista questione, quatenus docet, pro illis signis, quibus Deus elegit salvandos ad gloriam, & gratiam, circa cæteros non habuisse actum positivum, sed negativum. Tamen quia r. d. 47. qu. 1. s. respondeo, addit Deum habere actum reflexum super istam negationem electionis ad gloriam, vel gratiam, quo actu reflexo nolit eligere reprobos, idè dici potest, non electionem habere actum positivum concomitantem, quia ratione actus positivi annexi, à quo quasi imperatur ista non electio, ipsa est perfectior involuntaria, unde quod dicit Scotus pro signis electionis aliquorum ad gloriam, & gratiam, circa cæteros Deum non habuisse actum positivum, debet solum intelligi de positivo actu directè terminato ad cæteros; necdè hoc ait, contendendum esse cum quibusdam, Scoto imponentibus quòd ad reprobationem negativam, vel permissionem nõ requirit actum positivum; omnino enim illum requirit, sed solum censet, illud positivum non significari formaliter per vocabulum non electionis, vel permissionis, licet id. quod formaliter significatur, actum positivum habet concomitantem; atq; ita etiam sentit Fafolus q. 23. ar. 3. & alii passim sic explicant conceptum negativæ reprobationis.

Arriaga verò è contrà disp. 39. sec. 2. nu. 24. asserit contra Suarez, Deum in nullo signo rationis, antequam videret peccata, voluisse positivè aliquem non eligere ad gloriam, & miratur, quomodo Suarez simul has duas sententias conjungat, & quòd Deus neminem ex se velit excludere à regno Celorum, & quòd in signo rationis, in quo elegit prædestinatos ante ipsorum opera, voluit aliquibus non dare gloriam, quod idem est, ac velle non eligere ad illam, & idem, ac velle illos à gloria excludere; si enim que hucusque dicta sunt, quidquam probant, convincunt sane, Deum non habuisse voluntatem aliquos non eligendi ad gloriam, nisi prævisis eorum peccatis. Neque imperfectio est illa, inquit, in Deo, in quo aliquo signo rationis merè negativè se habet circa aliquod objectum, dummodò in instanti reali se determinet, imò omnes concedere debent, Deum in aliquibus signis rationis se habere præcivè circa aliqua objecta, nempe in eo, in quo solum omnibus hominibus inefficaciter vult gloriam, tunc enim nemini efficaciter eam vult, & circa actum efficacem se habet negativè, atque ita etiam dicitur Averra q. 23. sec. 30.

268 **U**terque dicendi modus mihi videtur posse defendi, absq; quòd ullum sequatur ex illis absurdum, quæ unus contra alterum infert; unde si primus defendatur, non inde sequitur, nostram sententiam sic explicatam recidere in oppositam, quòd Deus voluerit, pro aliquo signo reprobos positivè à regno excludere ante eorum mala opera prævia, ut arguit Arriaga; & cum inquit, velle non eligere aliquem ad gloriam idem esse, ac velle illi excludere à gloria, respondeo, hoc verum esse, si velle non eligere, accipiatur pro actu directo, & directè terminato nedum ad nõ electionem, sed etiam ad ipsum non electum, seu ad gloriam in ordine ad ipsum, ut sic enim idem est, quòd nolle gloriam illi, quæ est positiva illius exclusio à gloria; si velle non eligere, accipiatur pro solo actu reflexo terminato ad ipsam nõ electionem, non autem ad gloriam, aut non electum ad illam, falsum est, quòd in hoc sensu velle non eligere aliquem ad gloriam sit idè, quòd velle illum excludere à gloria, nam solum sensus est, quòd pro eo signo non vult illum includere positivè, sed nec positivè excludere, sed tantum merè negativè se habere circa illa objecta, & positivè pro eo signo vult tantum circa solum illa negationem, vel suspensionem actus directi volendo illa negationem, seu volendo reflexè suspensionem talis actus directi, atq; ita conceptis verbis loquitur Scotus r. d. 47. s. respondeo, in fine, dum ait, prævisato sibi Judæ primo Deus habet nõ velle illi gloriam, & non primo nolle secundum illam ultimam positionem dicit. 41. & potest tunc secundo se reflexè super ista negatione actus, & velle eam, & ita volens, ipse voluntariè non eligi, Juda finaliter peccaturum, & non volitionem gloriæ, sed non volitionem gloriæ, quod etiam manifestè potest exemplis ostendit Principes, qui velleitatem quandam habeat assumendi in suos familiares Petrum, & Paulum, dicit, modo efficaciter Petrum nihil in meum alicum, & familiarem, circa Paulum verò non modo decernere volo, sed acti electionis, aut exclusionis suspendendo; planè ex hoc actu volendi reflexè suspensionem electionis circa Paulum, infertur nequit quòd ipsum ab aula excluderet, nam stante ea velleitate, & suspensione electionis efficacis, potest Paulus ad aulam eligi per subsequens decretum; quòd si interim Paulus delinquat in Principem, si Princeps decernit ex tali delicto non amplius eum ad aulam recipere, tunc positivè ex sua culpa intelligitur ab aula rejectus, & exclusus; ita res adamussum se habet in proposito nostro de reprobatione negativa. Dices, si non electio reproborum in eo signo, quo alii ad gloriam eliguntur, est voluntaria per aliquem actum positivum; ergo non erit reprobatio negativa, sed positiva. Respondendo, si erit voluntaria per aliquem actum formaliter importatum, & dire-

directè terminatum ad gloriam, ut illis nolitam, utique sequela teneret; sed quia dicitur voluntaria tantum reflexè, & per actum concomitantem, qui etiam duntaxat terminatur ad negationem, & suspensionem ipsam electionis ad gloriam, quæ dicitur reflexè volente, idè sequela nõ tenet. Quòd si posterior defendatur dicendi modus, nulli etiã sequitur imperfectio in Deo ex hoc, quòd merè suspensivè se habeat Deus circa reprobos in eo signo, pro quo alios ad gloriam eligit; quando enim dicitur divina voluntas, non posse quasi suspensa manere, ita ut nihil statuat de aliquibus effectibus, an sint, vel non sint futuri, intelligendum id est secundum realem durationem eternitatis hoc autem modo in presenti non manet suspensa divina voluntas, quia in posteriori signo ex eternitate habuit voluntatè non dandi gloriam illis hominibus, in priori autem signo ab utroque actu præcindere non est inconveniens; quoniam, ut dicebat Arriaga, nulla in Deo est imperfectio, quòd in aliquo signo rationis merè negativè se habeat circa aliquod objectum, dummodò in instanti reali se determinet. Dices, voluntarium indirectum, & interpretativum est imperfectum in suo genere; ergo non est in Deo concedendum, sic autem voluntaria esset illa suspensio, si ponitur sine actu saltem reflexo, & concomitanti. Respondeo, verum esse asumptum, si voluntas divina sic suspensa poneretur per instanti aliquod reale, nõ autem si ita ponatur pro solum instanti rationis; vel cum aliis dici potest, adhuc illam non electionem reproborum dici posse perfectè voluntariam per actum, non quidem distinctionem ab eo, quo eligit prædestinatos, ita ut actu illi elegerit, & alio relinquere illos; sed solum eodem actu, quo voluit eligere salvandos, voluit consequenter non eligere alios, quia hæc est natura electionis, quòd cum sit acceptio unius alius rejectio, eodem actu, quo unum eligitur, cætera relinquuntur, quæ doctrina videtur D. Th. q. 6. de veritate art. 1. ut dicitur, qui eligi, alterum accipit, & alterum rejicit, quod dicitur reprobare; Neque hinc sequitur, talem fore reprobationem positivam, cum enim non sit, nisi solum voluntas non eligendi pro illo signo, non autem voluntas simpliciter, & absolute nunquam eligendi, aut reiiciendi à gloria, non est dicenda reprobatio simpliciter absoluta, & positiva, sed solum secundum quid, & negativa.

ARTICULUS QUARTUS.

An reprobationis negativæ detur aliqua causa ex parte hominis.

267 **U**ltima dubitatio circa negativam reprobationem est, an detur ejus aliqua causa ex parte hominis; per quã sibi meretur, non eligi ad gloriam in eo signo, pro quo alii sunt electi. Negant quæ implures aulam habere causã ex parte nostra, si que graviores Thomaz D. Thomam intelligunt, 1. p. q. 23. art. 1. ubi in solutione ad 3. videtur in hoc equiparare reprobationem prædestinationem, ut videtur apud Nazarium quest. 23. contr. ov. 3. Alii è contrà admittunt ex parte hominis causam totius reprobationis etiam quoad negationem prædestinationis, putantes, eadem sequi absurdum, si ex parte hominis causa non assignetur negativæ reprobationis, quæ sequebantur de reprobatione positiva, qua ratione Faber disp. 59. hanc negativam reprobationem non admittit ut distinctam à positiva, ita Zamel q. 23. art. 5. dicit, licet paulò infra aperiendo suam sententiã nescio, qua consequentia, aliam statuat conclusionem, in qua asserit simpliciter, & absolute loquendo, quòd sic prædestinationis nulla datur causa ex parte prædestinati, ita etiã neque reprobationis datur ulla causa ex parte ipsius reprobi. Media tandem sententia est aliorum, qui ex parte nostri assignat causam etiam negativæ reprobationis, quam esse dicit originale peccatum, quia illud ex se sit sufficiens causa delinquentis divinæ; ergo quos Deus deseruit, propter hanc causam deseruit, quam vis multos alios eadem causã habentes deserere noluerit, quòd in illis misericorditer divine tribuendum est, in aliis verò justo judicio, quæ ita absolute dicunt, dari causam reprobationis in his, qui deseruntur, quamvis tunc non deus, cur hi potius, quam illi deserantur, contendunt, quam fuisse perpetuam, & separantam. D. Aug. sen. quia multis in locis ita loquitur de separatione electorum ex massa peccatorum pro misericordiam, & delinquentis aliorum in suo lapsu per judicium, & præsertim dicitur Fafolus q. 23. art. 5. dub. 1. quem ex nostris sequitur Poncius loc. cit.

268 **D**icendũ est tamen cum Scoto loc. cit. ex parte hominis nullam dari causam reprobationis negativæ, id est, motiva voluntatis Dei de non præeligendi tali persona efficaciter ad gloriam; ita Smifinch. Vulpes. Suarez. Lezana, & alii loc. cit. Conclusio deducitur ex loc. cit. Pauli ad Rom. 9. c. expositione data supra n. 249. ubi quòd hunc eligat, illum verò non eligat, reducit in Dei voluntatem; cumque locus ille intelligi nequeat de positiva reprobatione, sive absoluta exclusione à regno, quia hæc fit ex malis operibus prævisis; ut probum est art. præced. restat ut intelligi debeat de negativa reprobatione, seu de voluntate

non eligendi specialiter ad gloriam, & gratiam Conf. ex Aug. ita frequenter exponente illum locum tract. 26. in lo. cur hinc trahat, illum non trahat, noli judicare, si non vis errare, & epistol. 104. circa medium, cur autem istum potius, quam illum liberet, scribetur qui potest iudiciorum ejus tam magnam profundum, viderum tamen caveat precipitum, idem habet c. 9. de prædest. Sanc. & alibi frequenter, dum cum Apосто lo exclaimat, ad altitudo divitiarum sapientie, & scientia Dei, &c. ò homo tu qui es, qui respondes Deo, an non habet potestatem signis tui ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam; que verba cum non sint intelligenda de positiva, & explicita ordinatione ad penam antè prævisam culpã, hanc enim ait alibi Aug. non semel procedere ex occasione à nobis data, accipi debent de reprobatione negativa, id est, voluntate non dandi efficaciter gloriam, ac media efficaciam, sed tantum sufficientiam, adeo ut ex malitia hominis duntaxat mala culpæ, & pene provenire debeat.

Respondet Fafolus cit. comparationem illam inter Jacob, & Esau ab Aposto. factam antè illum opus bonum, vel malum, satis clarè indicare, ubi sermone esse de odio, aut reprobatione negativa quidem, non tamen per se, & absolute considerata quia sic ejus potest assignari causa saltem originale peccatum, ut sepe Aug. assignat, sed considerata respectivè per ordinem ad prædestinationem aliorum æqualem, quo modo utique nulla hujus differentie, sed discretionis potest dari causa, nulla eorum culpa intelligebatur à Deo prævisã, & ergo electi, qui non fuerunt pro eo signo electi, nullam habuerunt culpam, in eo signo prævisã, in quo electi non sunt, ergo negativæ reprobationis nulla datur causa ex parte hominis, sive absolute, sive comparative consideretur. Dices, Apóstolum omnem excludere culpam prævisam actualem, non tamen originale, & idè ait, antequam quidquam boni aut mali esset, non autem antequam quidquam mali contraxisset. Contra quia Paulus ita excludit opera, & omnem causam ex parte nostri, ut referat causam nostræ electionis vel non electionis in solum Dei voluntatem, quòd satis constat ex exemplo Iuri, & sigilli, quòd adducit; ergo excludit omnem peccatum, sive actuale, sive originale. Tum quia quando instantia haberet locum in hominibus, attamen in Angelis locum non haberet, in quibus nulla fuit prævisã culpa, nec actualis, nec originalis, quomodo autem intelligi debet Aug. d. 1. in hominibus causam hujus negativæ reprobationis peccatum assignari originale, dicemus postea; interim ex hoc patet absurdum loquendo, necessarium non esse ut assignetur causa hujus negativæ reprobationis ex parte reprobi, & quòd peccatum sit ratio, vel conditio necessaria ad talem non electionem, nam in Angelis non prædestinati habuit Deus solum voluntatem absq; præcognitione alicuius peccati, ut probè Suarez adnotavit loc. cit. sufficiens ergo ratio ad hanc voluntatem est, quòd nulli Deus debeat, saltem in eo primo signo gloriam, & gratiam suam, sed potest eam distribuire, prout voluerit, quòd saltem de gratia nullatenus negari potest. Dices, sufficientem causã hujus non electionis ex parte hominis esse, quòd in Juda v. g. nulla est ratio, ob quam Deus debeat illum eligere. Contra, quia hic sermo non est ex quacunque causa, vel ratione negativa, sed de causa aliqua materiali, quæ ex parte creaturæ possit movere Deum ad talem volitionem, vel non electionem; tunc quia ubi affirmatio non est causa affirmationis neque negatio est causa negationis; cum ergo Deus neminem eligat, eo quòd teneatur, aut quia creaturam nullam datur capacitatem naturalem talis electio debeat, sic pariter è contrà non potest assignari in creatura ratio, cur non eligatur in eo signo, in quo nulla ex parte ipsius prævidetur culpa.

269 **H**ac eadem ratione probatur, nec dari posse causam aliquam ex parte reprobi, propter quam Deus noluerit ei dare gratiam congruam finaliter, seu efficaciam media, quibus infallibiliter vitam consequeretur æternam, sed hujus etiã negativæ reprobationis à gratia efficaciam causam esse prorsus referendã in divinam voluntatis libertatem; probatur (inquã) eodem discursu quia nulla culpa necessario supponitur ex parte creaturæ ad hæc Dei voluntatem, ut in Angelis manifestum est, quia in eodè signo, in quo Deus voluit his Angelis dare gratiam congruam, & efficaciam, illis verò non, sed tantum sufficientem, nulla in Angelis electi præcesserat culpa; ergo neque in aliis, erant enim in eo signo æquales, quoad meritum, vel demeritum; cum igitur in nostra sententia prædestinatio, & negativa Angelorum reprobatio in eodem instanti facta fuerit cum prædestinatione, & negativæ reprobatione hominum, antè omnem futurorum præscientiam, eodem modo de prædestinatione, & negativæ reprobatione hominum quoad tã m. quàm à gratia congrua loquendum erit. At Suarez cit. de hominibus censet, probabiliter dici posse, peccatum originale prævisum causam fuisse sufficientem, ob quam Deus noluit dare gratiam congruã finalem non prædestinatis ad obtinendam salutem, quamvis enim hoc fuerit æquale in omnibus, & idè nõ potuerit esse ratio dandi

dandi gratiam congruam his potius, quam illis; tamen absolute erat ex se sufficiens ratio negadi gratiam congruam his, quibus eam negare vellet, unde talis voluntas non erit ex absoluta potestate, sed etiam ex iustitia; id autem asserit ob Aug. qui ita loqui videtur de discretione hominum ex massa perditionis per prædestinationem, ut eam supponat infectam originali culpa, & ex massa perditionis, inquit, & non pura nature explicat Paulum ad Rom. 9. dixisse, potestatem habuisse supremam figuram fingendi vasa alia in honorem, alia in contumeliam; Verum cum nos teneamus, prædestinationem Christi, & aliorum in ipso præcessisse prævisionem peccati Adg. & prædestinationem Angelorum, & hominum in eodem signo factam fuisse, hanc expositionem admittere non possumus, sed dicere debemus, etiam in hominibus nullam supponi culpam in eo signo, in quo Deus voluit hos eligere, & non illos; & quod Paulus loc. citat, loquitur de massa pura nature, non autem originali culpa infecta, deduci potest ex eo, quod ait, potestatem habere figuram ex eadem massa, aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam; at si locutus esset de massa infecta, non id reduxisset in solam figuram potestatem, sed etiam in iustitiam, ut dicebat Suarez; tunc quia quando ait, non ob id fuisse iniquitatem apud Deum, rationem non reddit, quia ita petebat demeritum præcedens ex parte vasis, in contumeliam formandi, quasi illud ita formaverit ex virtute positiva iustitiæ, sed præcisè ait, non esse iniquitatem apud Deum, quia nulli debitor est, & absolutus Dominus gloria, & gratiæ; Tum quia certum est, non omnes damnati, aut reprobi ob originale peccatum, ut constat de adultis, quibus remissum est in baptismo, quo autem sensu dixerit Aug. peccatum originale fuisse universalem causam reprobationis omnium, iam supra explicatum est nu. 251. sicut etiam cum exponit locum Apostoli ad Rom. 9. de massa originali culpa infecta loquitur de prædestinatione hominum secundum ordinem executionis, quæ fit post præscientiam originalis culpe, non autem per modum intentionis, quæ facta est ante prævisionem cause unque lapsus; Quare sicut Paulus, & alii ad conciliandas varias D. Aug. auctoritates in hac re distinguunt de reprobatione negativa, quod absolute sumpta habeat in hominibus causam ipsam originale culpam, & in hoc sensu ajunt intelligendum esse Aug. cum talis reprobationis causam assignat originale peccatum, cõparativè vero spectata per ordinem ad prædestinationem nullam habeat causam, & ita explicat Aug. cum ait, illius discretio nullam dari causam, nisi solam Dei voluntatem; ita nos non recedendo à communi distinctione, quam & ipsi adhibent ad conciliandas alias Aug. sententias, cum modo inquit, prædestinationem fieri ex meritis, modo autem fieri ante prævisionem meritorum, ibi esse locum secundum ordinem executionis, hic verò secundum ordinem intentionis; eadem quoque nos hic titimur, ut cum dicit, reprobationis negativæ nullam dari causam ex parte reprobi, id sit intelligendum secundum ordinem intentionis; cum verò ait, hanc in hominibus esse saltem originale, de ordine executionis debeat intelligi, modo iam explicato nu. 251.

270 Quamvis autem ex parte reprobi opus non sit aliqua assignata causa talis negativæ reprobationis, tam à gloria, quam à gratia, nihilominus aliqua saltem est vestiganda ex parte Dei, ut rationabiliter dicatur hunc, vel illum non prædestinare; hanc autem partem omnes esse dicunt, ostensionem suæ majoris misericordie ergà prædestinatos, quod colligitur ex illo ad Rom. 9. *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordias*, & supremi domini, quod habet supra omnes creaturas, prout etiam denotatur ibi, *volens notam facere potentiam suam*, quod sufficit, ut illa non electio, seu reprobatio negativa dicatur rationabiliter facta; finis ergo est ostendere divitias gloriæ, & gratiæ suæ, & liberalitatem, qua usus fuit ergà prædestinatos, denegans enim vocationes congruis reprobis, ostendit prædestinatis easdem vocationes, quibus ad gloriam preparati fuerunt, gratis omnino ipsi fuisse concessas, siquidem ipsi eodem modo, atque reprobi absque injuria negari potuissent, quem finem significavit Aug. lib. 2. de nuptiis, & concupiscentiis c. 16. & clarus lib. de bono persev. c. 12. & lib. 4. contra Julianum cap. 8. ante mediũ his verbis, *demonstrans in eis, quos damnat, quid omnibus debeatur, ut hinc discant, quos liberat, quæ sibi parva debita relaxentur, & quæ indebita gratia condonetur*, hæc autem libertas, ac liberalitas divina in hominum electione ad gratiam efficacem, & vitam æternam non ita effulset, si omnes ad gloriam, & gratiam efficaciter eligeret; nam videri posset electio omnibus debita saltem ex institutione nature humanæ, imò illa electio posset videri debita tali nature, & præsertim, quia habet naturalem capacitatem passivam, & activam saltem inæquata ad visionem, & fruitionem beatam, ut suo loco dicemus; ut igitur electio merè grati eluceret, congruum fuit quibusdam electis, quosdam non elegi efficaciter, sed solum sufficienter, pro solo Dei beneplacito; Alius verò finis, qui solet attendi ex manifestatione iustitiæ Dei vindicativæ, non ita statui debet, ut talis in-

entionem; vel absolutam voluntatem habuerit Deus ante absolutam præscientiam futuri peccati, quia ut sæpius inculcatum est, Deus ex se non habet hanc voluntatem, aliqui virtualiter saltem vellet ipsum peccatum, ut supra de ductum est, quod non sequitur ex alio priori fine, à nobis assignato, qui nullam habet per se connexionem cum peccato, quoniam ad huc cum tali fine ita, quod Deus omnes sufficienter ad gloriam ordinaverit, & omnibus sufficienter subministrat media pro tali fine. Solum ergo habuit Deus voluntatem illam manifestandi suam iustitiam consequenter, & occasionem ex nobis desumpta post prævisionem culpam, antè verò præcognovit tantum, posse boni hoc elicere ex peccato, si ab homine fieret, & solum habuit voluntatè conditionatam ita se gerendi cum homine, si ipse peccaret.

In oppositum arguit Zumel loc. cit. probans, reprobationis negativæ causam assignari debere ex parte nostri, etiam si ea explicemus per metam negationem, & suspensionem actus perditionis hominis in eo potissimum consistit, quod non sit ordinatus ad gloriam efficaciter; ergo si Deus absolute sola sua voluntate sine ordine ad aliquid peccatum, in homine existentis illum non ordinavit ad gloriam, iam hominis perditio ex Deo ortum habet. Tum quia de facto positive reulit universos, & ordinavit ad gloriam, quantum est ex parte sua; ergo circa neminem se habuit negativè non ordinando ad gloriam. Tum 3. quia si aliquid absolute, & sine respectu ad illius peccatum non ordinasset ad gloriam, illi homini non esset pena carere gloria, ad quam nunquam fuit ordinatus; neque per naturam suam, neque per Dei voluntatem, & beneplacitum. Tum 4. quia hinc sequeretur, quod neque illis conferret media necessaria ad salutem, nam nemo prudens adhibet media, neque vult, nisi in ordine ad finem, ut homo peccet, sed divina permissio eundem finem habet, quem habet reprobatio negativa, cuius est effectus; quinam autem sit ille finis, dictum est nu. 270.

271 Respondendo hæc argumeta probare tantum, Dei habitum esse in omnino primo signo antecedentem, & simpliciter voluntatis effectum de omnium gloria, tam prædestinatorum, quam reproborum aequaliter, ac semper ante omnes actus efficaces circa salutem prædestinatorum, & eorum suspensionem circa reprobos, quod gratis concedimus; unde negamus, ex reprobatione negativa sequi, quod reprobus non maneat semper ad gloriam ordinatus sufficienter per illam generalem volitionem de omnium salute, sed solum sequitur, quod non sit ordinatus efficaciter, neque cum eo simpliciter affectu, ac generali voluntate de omnium salute, sed solum electionis efficacis ad gloriam circa aliquos, sed tantum pugnat alius simplex voluntatis affectus, & multò magis efficacis, atque absolutum propositum simpliciter excludendi aliquam creaturam intellectualem à celesti regno ante prævisionem peccati, ut ipse Zumel minus consequenter videtur postea concedere in tertia conclusione secundæ ordinis; quare ea argumenta potius ejus opinionem impugnant, quam nostram, cum ipse asserat simpliciter, & absolute loquendo, nullam ex parte nostri dari causam positivè reprobationis, sicut non datur prædestinationis. Hinc ad 1. negatur assumptum, ut constat ex dictis nu. 261. ex sola negatione electionis efficacis ad gloriam non sunt homines simpliciter, & absolute reprobi, quia ex vi ejus nihil disponitur circa illos, sed merè suspensivè se habet divina volitatis, tam in ordine ad gloriam, quam in ordine ad gratiam efficacem; ita ut pro aliis signis possint à Deo eligi, si obex non ponatur ab eis, ut postea ponitur ex prævisione peccati, ratione quæ deinde in illis signis positivè reprobatur. Ad 2. probatur tantum de ordinatione inefficaci, & conditionata per illam generalem voluntatè, qua vult omnes homines salvos fieri, non autè de ordinatione efficaci, quia omnes esse prædestinati. Ad 3. idem probatur, & non amplius, sicut & alia argumeta, nam ex vi illius generalis voluntatis dicitur Deus, conferre omnibus auxilia ad salutem necessaria, & neminem deserere, & nemine perire velle, ut latè q. 1. hujus disp. ostendimus; & re vera non conferent, his argumentis Auctorem illi aliud probandi voluisse, nisi dari in Deo hanc generalem voluntatè, salvandi omnes inefficacem, & conditionatam virtute cuius omnibus obsequium ad salutem necessaria, & omnes ad celestem beatitudinem manent

manent sumentem ordinem, non inquam, aliud conferent, voluisse probare, nisi quod primum argumentum videtur, quid amplius concludere velle, dum in eo assumit, perditionem hominis in eo potissimum consistere, quod non sit ordinatus ad gloriam efficaciter; hoc enim videtur, in omnibus aliis argumentis sequentibus loqui de ordinatione efficaci ad gloriam, & vellet probare, quod omnes sint ad gloriam efficaciter ordinati, quantum est ex parte Dei, & quod Deus circa nullum habere queat suspensionem talis actus efficacis, quod certè si intendit, toto aberrat Celo, quia certo certius est, Deum non omnes sic ordinasse ad gloriam efficaciter, & absolute, quantum est ex parte sua, sed solum inefficaciter, & conditionatè. Hæc eadem argumentum adducit Nazarius q. 23. a. 5. contr. 3. Sed satis implexè dissolvit, & minus consequenter ad secundam conclusionem, quam statuerat, nam in ea dixerat, reprobationem negativam nullam includere actualem ordinem ad peccatum, quia reprobatio sic præcisè sumpta nihil aliud dicit, quam velle non eligere ad gloriam, quod præcedit omnem præscientiam peccati, & postea in argumentorum solutione sapius inquit, quod licet in reprobatione negativa non sit ordo actualis ad culpam, non tamen in eo signo excluditur, sed veluti virtualiter includitur, quoniam in eo signo virtualiter, & implicite volita est permissio peccati. Hæc tamen solutio omnino falsa est, quia licet in eo signo sit volita permissio peccati, & hæc sit effectus reprobationis negativæ, & communiter conceditur, non tamè sequitur, in ea permissione volitum esse peccatum virtualiter, aut permissioem dicere ordinem virtuale ad peccatum, quoniam ut dictum est nu. 254. ex permissione non sequitur per se, & infallibiliter peccatum, sed merè per accidens, neque Deus permittit peccatum, ex hoc fine, ut homo peccet, sed divina permissio eundem finem habet, quem habet reprobatio negativa, cuius est effectus; quinam autem sit ille finis, dictum est nu. 270.

272 Secundò arguit Faber, nam si circa reprobos habet Deus ex se reprobationem illam negativam ante eorum prævisionem peccati, prius Deus est ultor, quam homo peccator, subtrahere enim auxilium, sine quo quis non potest operari bonum, est ipsi punire, antequam peccet, & videtur esse crudelitate, nec congruere bonitati divinæ, neque cum eo, quod Deus vult, omnes homines salvos fieri. Nec vult dicere, Deum non teneri dare gratiam suam alicui, nam tenetur esse misericordem, nec negare auxilia necessaria creatura, alioquin creatura non esset culpanda, quia non haberet necessaria. Tum 2. efficacitas damnationis non esset ex opere malo nostro, sed ex defectu Dei, scilicet ex decreto divine voluntatis, quod determinavit illi non dare gloriam, nec media ad gloriam consequendam. Tum 3. quia sequeretur per se, scilicet Deum esse causam peccati reproborum, nam certum est, hominè sine auxilio Dei non posse vitare peccata mortalia actualia; si ergo Deus decrevit non dare illis auxilium suæ gratiæ efficace, quod solum potest hominè justificare, sequitur, Deum esse causam culpe peccati actualis in adultis, quia non dat eis necessaria auxilia; nam dicere, quod dat eis sufficienter gratiam, nihil est, quia gratia illa sufficientis, ut ponitur à nonnullis, re vera sufficiens non est, sed solum de nomine. Tum 4. si Deus reprobat homines absque ulla causa ex parte ipsorum, sequitur, Deum hoc facere ad manifestandum suam iustitiam, sed hic nequit esse finis à Deo per se, & principaliter intentus ex D. Aug. lib. 3. confes. cap. 2. & Fulgentio lib. 1. ad Monimum cap. 22. Tum 5. si reprobativè homines absque ullo demerito, & ex merito suo beneplacito, sequitur, Deum ex se prædestinativè efficaciter eorum peccata. Tandem adducit ad hoc testimonia Concilii Valentini, & D. Aug. lib. 6. Hypognost. & serm. 38. de tempore testantia. Deum neminem reprobare, nisi ex prævisis demeritis; & ait uno verbo, contra reprobationem negativam concludere rationes omnes rest. præced. factas contra positivam.

273 Respondendo negando, eandem esse rationem de reprobatione negativa, & positiva, quia ex vi negativæ reprobationis nihil omnino disponitur à Deo circa homines, cum sit mera suspensio electionis efficaciæ ad gratiam, & gloriam circa aliquos in eo signo, pro quo alii se efficaciter eliguntur; & quavis illi pro eo signo non eligantur cum aliis, adhuc tamen eis remanet locus, ut eligantur in aliis sequentibus signis, nisi superveniret impedimentum ex prævisione peccati, ratione cuius postea positivè reprobantur; ex quo si argumentum præced. ar. facta optimè concludere contra positivè reprobationem, non autem contra negativam; Hinc ad 1. negatur consequentia, ad probationem negatur, Deum ex vi reprobationis negativæ subtrahere auxilium, sine quo quis non potest operari bonum, hoc enim auxilium nemini denegatur, imò neque tollitur ex vi reprobationis positivæ, quæ solum excludit auxilium efficace pro finali perseverantia, hoc est, auxilium, quod sit infallibiliter habiturum talem effectum; nam adhuc reprobo conceditur, non obstatè positivè reprobatione, auxilium, quod possit re vera, & potentia ad actum reducibili, in fine perseverare, si tali auxilio

non abutatur, ut regulariter evenit, ex ejus negligentia, & tale auxilium sufficiens denegare, utique non stat cu eo, quod Deus velit, omnes homines salvos fieri, nam ex vi talis generalis voluntatis tenetur dare omnibus auxilia ad salutem necessaria, non tamen dare tenetur auxilia efficacis, id est, quæ infallibiliter sint suum effectum habitura, nam talem gratiam adhibere prout vult, ut ubique Aug. cum Apostolo docet, ex suo merito beneplacito, alioquin gratia non crederetur. Ad 2. negatur pariter sequela, quia ex vi negativæ reprobationis nemo positivè, aut per aliquod positivum decretum excluditur à gloria, nec ei denegatur media ad salutem necessaria, cum hæc neque denegentur ex vi reprobationis positivæ. Ad 3. negatur rursus consequentia, ad probationem, nego, solum efficace auxilium conferre homini virtutem, ut possit vitare peccatum, nam talis potentia, & virtus etiam in auxilio sufficienti involvitur, alioquin sufficientis non esset, unde auxilium efficace à sufficienti non fecerit per talem potentiam, & virtutem, sed super hæc addit infallibilem futuritionem effectum, ut modo ex materia de auxiliis suppono ex communi sententia, unde hoc argumentum procedit ex non recta intelligentia auxilii sufficientis. Ad 4. iam dixi nu. 270. eum non esse finem negativæ reprobationis, imò neque positivæ, nisi consequenter, & secundario. Ad 5. concludit tantum de reprobatione positivæ, cuius effectus unicus est eterna damnatio, & causa sunt peccata nostra, quæ veluti media damnationem inducunt, non autem de reprobatione negativæ, cuius effectus est sola peccati permissio, non verò peccatum, neque damnatio. Ad ultimum Concilium Valentini, & Augustinus loc. cit. loquuntur de reprobatione positivæ, non verò negativæ, ut constat ex dictis artic. præced. quare hæc omnia argumeta procedunt ex eo, quod arguit reprobationem negativam omnino confundit cum positivæ, nullum proferit inter eas discrimen agnoscens.

274 Tertio arguit alii apud Vulpes diss. 40. art. 3. n. 10. *perditionis tuae ex se Israel*, Osee 13. ex quo colligitur, radicem perditionis in malitia creature esse refundendam, & non in voluntatem divinam, at radix omnis perditionis est negatio prædestinationis, sicut prædestinatio est radix finalis salutis, cum oppositum eadem sit ratio; ergo necesse est, quod si causa ex parte reprobi etiam, cur prædestinatio non fit. Tum 2. quia Scotus ipse 1. d. 41. B. docet, non esse simile processum prædestinationis, & reprobationis in Deo, quia bona principaliter Deo tribuuntur, mala autem nobis, at reprobi negativè non solum malum esse, sed etiam radicem, & initium omnis mali, ergo & c. Tum 3. si Deus in instanti illo nature, in quo aliquos prædestinat sine meritis, alios omittit reprobare, autem datur apud Deum acceptio personarum. Tandem Deus omnia propter debitum finem operatur; ergo sicut in instanti prædestinationis aliquos prædestinat, ut ostendat divitias suæ misericordie, ita illos non prædestinat, ut ostendat acerbissimum suam iustitiam, sed non esset iusta suspensio illius electionis, si non haberet causam ex parte hominis, cum iustitia semper supponat meritum, vel demeritum, ergo & c.

275 Resp. Vulpes, duobus modis posse intelligi, prædestinationis negationem omnis perditionis esse radicem, uno modo positivè, ita negat alio modo negativè, & ita concedit; Nec valet C. inquit Jugers, prædestinationem esse causam positivam omnis finalis bonitatis; ergo negatio ejus est positivè causa omnis perditionis ex regula oppositorum; falsa est enim consequentia, nam illa regula solum habet locum in causis necessariis naturaliter agentibus, non verò in causis liberis, & contingentibus. Ad 2. ex Scoto pariter respondet, ipsum esse positivè locutum, jam verò reprobatio negativæ solum est negativè radix omnis mali, præferens præcisè negationem efficacium auxiliorum, quibus omne malum culpe, ne fiat, impeditur potest. Hæc solutio non satisficit, quia neque concedendum est Deum esse radicem nostræ perditionis negativæ, quasi non det, quantum necessarium est ad salutem consequendam, & parum refert, quod nos perdat positivè, vel negativè absolute, ut videatur nostra perditio esse à Deo, nam ita benè diceretur Deus hominem necare, si concurrat negare ad ejus præstationem, ac si positivè ictu fulminis ipsum percuteret, nam utroque modo perditio vitæ corporalis esset ex Deo, etiam si primo modo non nisi negativè diceretur causa finis ejus. Neque etiam ad eam instantiam benè occurrit dicendo, regulam illam oppositorum valere tantum in causis necessariis, non verò liberis; nam si mea libera volitio censetur esse causa præcisè alicujus effectus, pariter negatio talis volitionis suo modo censetur esse causa, quod non sequatur talis effectus, nam eo modo, quo positivè affirmatio est causa affirmationis, sic pariter negativè negatio est causa negationis; tum quia hoc eodè argumento utitur ipse in immediatè ante à pro secundæ conclusionis probatione dicens, quod quæcunque intuitu prædestinationis gratia efficace finalis præcisè præparatur electis, ita & intuitu negationis prædestinationis hæc gratia non præparatur non electis

electis; & probat consequentiam, quia in causis prædictis ubi affirmatio est causa affirmationis, necessario negatio est causa negationis; hoc autem suum argumentum est de causa libera si ergo regula non valet in causis liberis, ut ait in solutione illius instantiæ; ergo argumentum hoc suum non concludit, vel si argumentum tenet, solutio ad instantiam est nulla.

277 Melius igitur ex dictis n. 263. distinguenda est minor, quod duplex est negatio prædestinationis, alia simpliciter, & absolute dicta, & est voluntas simpliciter, & absolute nunquam eligendi, seu à gloria reiciendi; alia secundum quid, & est voluntas non eligendi pro uno determinato signo, vel potius suspensio electionis pro eo signo, que non excludit voluntatem eligendi pro aliis sequentibus signis, si impedimenti non superveniat ex parte nostra; prima negatio est utique causa perditionis nostræ, nam hæc directè opponitur prædestinationi, que est causa nostræ salutis, non autem alia negatio, que suspensio electionem pro uno signo tantum, nec eam excludit in aliis sequentibus signis; & illius primæ negationis utique datur causa ex parte reprobis, quia aliud non est, quam ipsa positiva reprobatio, vel saltem eam consequitur, que incipit à prædicta finali peccata, quod prædicitur ad primam radice perditionis nostræ; reprobatio autem negat, de qua hic est sermo, non importat negationem prædestinationis nisi secundum generis, atque ideo opus non est ejus assignare causam ex parte hominis, sed citrà omne absurdum potest esse sola Dei voluntate pendere. Ad 2. loquitur Scot. de reprobatione positiva directè opposita prædestinationi simpliciter dicta, & negatur minor, quod negativa reprobatio sit radice omnis mali, quia talis negatio non excludit prædestinationem simpliciter, sed tantum eam suspendit pro uno signo. Ad 3. negatur consequentia, quia ut ait Aug. lib. 2. cap. 7. contra duas epist. Pelagianorum acceptio personarum non est, nisi ubi intervenit debitum, unde si rationales creaturae suapte natura essent ex æquo ad vitam æternam ordinabiles, & aliquam haberent dispositionem ex se congruam, vel condignam ad eam, & unam prædestinaret ad gloriam, & gratiam, aliam verò non, planè diceretur personarum acceptor, sic autem non est in proposito, quia nulla datur talis dispositio ex parte creaturæ, nec ad gratiam, & ad gloriam, & ideo utriusque Deus absolutus est Dominus, unde dixit Psaltes, gratiam, & gloriam dabit Dominus; tum quia sufficienter omnes ad gloriam ordinavit per eam generalem voluntatem, qua vult omnes salvos fieri & omnibus conferre vitam salutem necessariam, quare nemo de Deo conqueri potest, quod ex speciali amore alteri det uberius gratiam, quia et non defecit, quod necessarium est, nec illum relinquit omni auxilio destitutum. Ad ult. negatur consequentia quoad secundam partem: quia ut sæpe dictum est, ostensio divine justitiæ non est finis per se primo à Deo appetibilis sicut ostensio divine misericordie, & ideo ille non est finis primarius in negativa reprobatione sed tantum secundarius modo explicato num. 270. finis verò primarius est, ut ostendat se liberum in prædestinatione, supremamque de dominam gloria suam, nullam habentem necessitatem eam communicandi; Dices, tale dominium ostendere non posse, nisi aliquos à gloria excludendo, & ut talis exclusio sit iusta, supponere debet demeritum ex parte exclusi. Respondo, hanc eandem instantiam posse fieri de reprobatione à gratia efficaci, cuius tamen absolutus est Dominus, & denegare potest absque injuria nullo prævio demerito; potest igitur etiam de gloria loquendo suum dominium ostendere per solam exclusionem negativam alicujus à gloria, nimirum merè negativè se habendo circa illum, quoad actus efficaces, neque talis finis habet necessariam connexionem cum peccato, sicut habet ostensio justitiæ vindictivæ, que supponit peccatum puniendum; nam ut dictum est ab initio questionis, potest Deus simpliciter, & absolute loquendo aliquid relinquere in puris naturalibus, & alium ad gloriam efficaciter ordinare, quò casu ostenderet se absolutum Dominum suæ gratiæ, & gloriæ nullo intercedente peccato, absque eo quòd illi ullam faceret injuriam, quod de ostensione vindictivæ justitiæ dici non potest.

278 Quarto arguit Fasol. cit. probans ex Aug. pluribus in locis reprobationem negativam absolute inspecta causam ex parte reprobis habere peccati originale: etenim de prædest. Sanct. cap. 3. inquit, hanc reprobationem factam esse iusto Dei iudicio digna retribuentem: ergo præsupponit culpam in reprobis, quam culpam esse originalem, paulò post appetitissimè expressit initio capituli nostri: & de bono persev. cap. 8. circa principium inquit, de tam debita reprobatione, quæ omnes in Adamo peccatè patiebantur, si Deus inde neminem liberaret, non esset iniustus, ex uno quippe in condemnationem, non iniustitia iudicari sunt filii iræ, sed iustitia, qui ergo liberatur, gratiam diligit, qui non liberatur, debitum agnoscat, non liberari ad negativam reprobationem pertinet, non liberati ex debito, sed iusto iudicio est reprobationis negativæ causam esse peccatum, cui debetur negatio liberationis, & gloriæ: & postea ad illam interrogationem, cur in ca-

dam massa, ut potius illum puniet, aut illum, quam me potius liberabit, atque nihil aliud posse respondere, nisi quia in hac re sicut iusta est ira eius, sicut & magna est misericordia eius; ita in servitibus iudicium eius, & cap. 11. circa principium misericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur sine dubitatione credimus, sic etiam loquitur epist. 105. & 106. Cont. ex Prospero in resp. 3. ad Gallos, ubi de reprobatione hac negativa sic loquitur, non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo non prædestinati, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præcisi sunt.

Respondeo ex dictis n. 269. cum Aug. inquit, hominem iusto Dei iudicio non segregari à massa damnata, loquitur de reprobatione positiva, non verò negativa, que quidem positiva reprobatio ad ordinem spectat executionis, cum in ea non distinguatur ordo executionis ab ordine intentionis, nam illa negativa reprobatio, que in nostra sententia facta est in illo signo prælectionis alicuius ad gloriam, non est iustum iudicium, sed mera negatio majoris benevolentie, nec præscientiam peccati supponit, nec eam pro ratione habet; & quavis utatur terminis negativis, non liberari, non eligi non prædestinari, &c. usurpavit terminum negativum pro positivo, nam quia reprobatio positiva semper conjuncta est cum negatione prædestinationis, ideo solet unum pro alio usurpari ex trã rigorosam disputationem. Smilinch. tamen q. 3. num. 557. ait, August. quòd dixit, per electionem segregari hominem à massa damnata, frequentius locutum esse secundum ordinem intentionis, & adhuc intelligendum esse de electione illac non electione, que ordine intentionis præcedit præscientiam peccati, quia vobis per non designat causam segregationis proximam, sed remotam, & radicelem, itaque sensus est, prælectione ad vitam æternam, tanquam omnium aliorum salutarium bonorum radice provenire, quòd præmissa, & prævia humani generis ruina, & massa damnata, sic prælecti ab illa etuantur, tamen hæc ruina, & massa damnata nondum intelligitur prævia pro illo primo signo prælectionis ad gloriam, nam talis prælectio non tantum est causa illius boni, quòd pro eo signo preparatur, sed etiam aliorum bonorum, que pro aliis signis per alia decreta disponuntur, nam est causa voluntatis executivæ, & ea mediante est causa executionis mediocrum, quibus electi ad finem prædestinationis perducuntur, ex quibus unum est segregatio à massa damnata; Quòd declarat apud satis exemplo, cum dicimus, per adoptionem liberari filium adoptivum à debito pendenda hereditate, quòd post adoptionem incurrit ob delictum in Patrem adoptantem admissum, si affectus adoptantis sit tantus, ut nullam ob causam illum velit Patrem irritare, sed absolute intendat, filium adoptivum ad hereditatem perducere, nam Patet tali ex affectu impelleretur, ut si post adoptionem filius delinqueret, ei delictum ignosceret; sic ergo etiam in omni proprietate verborum dicitur, quis per prælectionem ad hereditatem æternam liberari, segregatque à massa damnata, etiam si talis massa nondum prævia intelligatur pro signo prælectionis ad hereditatem æternam.

279 Verum licet hæc explicatio sit satis ingeniosa, & absque ulla violentia applicari possit nonnullis Aug. locis, ubi absolute ait, per electionem segregari hominem à massa damnata, at tamen ubi reprobationem cum electione ita comparat, ut reprobationem iustum iudicium appellat, & causam ejus peccatum assignat, præsertim explicatio idonea non est, sed de reprobatione positiva intelligendum est Aug. ad ordinem executionis spectantes, ut ibidem faceret Smilinch. n. 559. & quia pluries cum tali comparatione loquitur, consequenter cum de ea loquitur discretione à massa perditionis facta per electionem, frequentius erit intelligendum secundum ordinem executionis, quam secundum ordinem intentionis, ut est communis expositio Auctorum nostræ sententiæ; Sed hæc communis expositio admissa gravis exortitur difficultas, nam si illis in locis loquitur Aug. de reprobatione positiva ad ordinem executionis pertinente, consequens est, quòd eodem modo loquatur etiam de electione ad gloriam secundum eundem executionis ordinem; non rectè ex illis locis deduximus qu. præced. art. 2. quòd ibi August. negat meritum electionis ad gloriam, consequentia patet, quia omnes ad mittunt; gloriam æternam secundum ordinem executionis esse decretam ex meritis præviis. Ad hoc bene occurrit Smilinch. cit. negando primam consequentiam, nam potius ad extollendam sine meritis electionem convenientissimè erat, ut ei opponeret Aug. illam positivam ob demerita reprobationem, ex huius enim tam contrarij oppositione illa magis elucefceret, tùm etiam quia non solum inter se comparari possunt decreta opposita in eodem ordine, sed etiam decreta opposita ordinum diversorum, prout etiam inter ipsos ordines instituitur comparatio. Verum tamen est, Augustinum frequentè etiam de reprobatione negativa esse locutum, eamque cum electione comparare, eam tamen iustum iudicium non appellat, nec ejus causam peccatum assignat, sed vocat non electionis non

non prædestinationem, non discretiorem à massa perditione, negationem, majoris benevolentie, vel simili modo, ut constat ex locis citatis n. 259. eamque refert in merum Dei beneplacitum cum Paulo ad Rom. 9. & interdu inquit, factam esse à Deo citrà omnem iniquitatem, quatenus cum facta sit antè ullius peccati prævisionem, ne Deus iniquus videatur, neminem per eam positivè à regno excludit, aut ad penam destinat, sed tantum post illius prævisionem, ut explicamus n. 249. Denique ad Confir. ex Prospero, quia pro causa illius non prædestinationis, de qua loquitur, assignat peccatum actuale, & voluntariam prævaricationem, explicandus est de positiva reprobatione, ità quòd terminum negativum usurpaverit pro positivo, ut exponit Suarez cap. 5. num. 7.

QUESTIO QUARTA.

An reprobis possit salvari, & prædestinatus damnari.

280 Hanc quest. propono, non quia de ea sit aliqua inter Theologos controversia, siquidem omnes tam veteres, quam recentiores eam resolvunt per tritissimam distinctionem de sensu composito, & diviso, sique clarissimè eam resolvit Scot. 1. d. 40. s. ad istam questionem, ubi querit, an prædestinatus possit damnari, & ait, distinguendam esse propositionem secundum compositionem, & divisionem, & esse veram in secundo sensu non in primo, ut declaratam est quest. præced. art. 8. num. 231. unde Badius dist. 40. s. quantum ad logicam, inquit, & nota, quòd omnes Theologi, quos vidi, ponunt istam distinctionem de sensu composito, & diviso, quam hic ponit Doctor, & dicitur, propositiones illas affirmativas, prædestinatus potest damnari, & prædestinatus salvari, esse veras in sensu diviso, & falsas in sensu composito, & addit Gabriel, quòd negativè istarum, scilicet prædestinationem non potest damnari, & prædictum non potest salvari oppositum non potest habere, quoniam sunt veræ in sensu composito, & falsæ in sensu diviso, ita Badius, unde constat, nedum citrà hoc punctum nullam esse inter Scotistas controversiam, sed neque etiam inter alios Doctores, sed quicquid sit de aliis extrà nostram scholam, certum est in nostra, nullam exare distinctionem; Hoc tamen non obstante Auctor Controversiarum inter Scotistas, de quò dixit dist. 4. quest. 4. art. 1. inter illas controversias etiam hæc miscuit, tanquam controversiam inter Scotistas, & quòd mirabilis est, eam non proponit sub titulo à nobis præfixo, sicut proponitur à Scoto, & alii, sed contròv. 18. eam sub hoc scripsit prout. An prædestinatus in sensu composito possit damnari, & prædestinatus salvari, quòd eodem modo non videtur, quòd pacto sit controversia inter Scotistas præsertim, cum omnes unanimiter partem defendant negativam cum Scot. 1. d. 40. ubi cum questionem propouisset sub ordinario titulo, prout prædestinatus potest damnari, in corpore questit dicit, hæc propositionem esse distinguendam secundum compositionem, & divisionem, & in sensu compositionis ait, esse falsam, in sensu verò divisionis esse veram; At postea Auctor volens sapere supra Magistrum, cum rectè ex Scoto in 2. notabili declarasset, quid sit sensus compositus, & diviso ex 1. dist. 39. G. & d. 40. B. ex qua declaratione questionem positivam tenebatur cum Doctore negativè resolvere, quòd scilicet in sensu composito non potest prædestinatus damnari, præmissa in tertio notabili quadam distinctione prædestinationis de qua infra numer. 287. ponit deinde tres conclusiones, in quarum prima dicit, quòd accipiendo prædestinationem in uno sensu prædestinatus in sensu composito potest damnari, in secunda verò, quòd eam accipiendo in alio sensu, non potest prædestinatus in sensu composito damnari; & demum in tertia asserit, prædestinatum in sensu diviso posse damnari; que conclusiones cum suis probationibus sunt hic examinanda; ut in re clarissima, & inter Scotistas minime controversa, videant tyrones Scotistas, quantum ad doctrinam Recentioris huius fidere debeant, in resolvendis Scoti placitis.

281 Primò itaque ponit primam suam conclusionem sub his verbis. Dico primo, prædestinatum in sensu composito posse damnari, accipiendo tamen prædestinationem, ut præcisè dicit electionem creaturæ ad gloriam, & gratiam; Quam ait, esse Scot. 1. d. 40. lit. B. & probat, postea tali decreto, & electione, & eo stante, vel prædestinatus liberè præbet assensum gratiæ excitanti, vel necessario, si secundum, tollitur tunc libertas, & est contrà Conc. Trid. sess. 6. can. 4. quia cum tale decretum sit ab æterno pro tali nunc, voluntas pro illo nunc non est libera libertate exercitii, contrarietatis, & specificationis, & ita prædestinatus esset confirmatus in gratia, quod non est dicendum ex Scot. cit. si primum, haberet intentum. Sed in primis perperam ait, hæc conclusioem esse Scot. lit. B. cum Doctor ibi potius oppositum doceat, etenim respondendo ad questionem, & accipiendo prædestinationem, ut ipse se declarat, propriè, ut dicit actù

voluntatis divine, scilicet ordinem electionis pro voluntate diuinam alicujus creature intellectualis, vel rationalis ad gratiæ & gloriam, resolvit questum in hæc verba. Dico ad questionem in se, quòd iste, qui est prædestinatus, potest damnari, non enim propter ejus prædestinationem est voluntas eius confirmata, & ita potest peccare, & ita pari ratione in peccato hære finaliter, & ita potest damnari, sed sicut potest damnari, ita potest non prædestinari, itaque resolvit questum, quòd absolute loquendo, prædestinatus potest damnari, quia potest peccare, & finaliter in peccato mori, eo quòd ut dictum est n. 230. cum determinatione de ineffe, que habetur ex vi prædestinationis, sit in determinatione de possibili, non tamen adhuc resolvit, quòd prædestinatus possit damnari in sensu composito, accipiendo prædestinationem, ut dicit electionem creaturæ ad gratiam, & gloriam, sed hoc resolvit immediatè post verè, seq. quantum autem ad logicam, & ait, eam propositionem esse distinguendam secundum compositionem, & divisionem, & in primo sensu esse falsam, in secundo veram, ergo prima hæc conclusio, quòd potest prædestinatus damnari in sensu composito, accipiendo prædestinationem, ut dicit electionem creaturæ ad gratiam, & gloriam tantum abest, quòd ex Scoto ibi colligitur, quòd potest patenter Scotus discretis verbis asserit oppositum, in quòd in sensu composito non potest concedi illa propositio, quia in sensu compositionis per se extremum est homo, vel persona prædestinata sub ista determinatione prædestinata, & iste sensus est falsus, ut dictum est supra num. 231. declarando sensum compositum ex eodem Scoto 1. 20. G.

282 Neque ratio illa propositum, probat, concedo enim positò tali decreto, & electione, & eo stante, prædestinatum liberè præbet assensum gratiæ excitanti, ita potest dissentire, ut ait Trident. cit. nego tamen, hæc sequi intentum, quòd scilicet prædestinatus in sensu composito possit damnari, quoniam ut declaratum est n. cit. 231. sensus compositus attendi non debet ex conjunctione forme unius in subiecto cum potentia ad oppositam, sic enim concedi deberet hæc propositio, sedentem ambulare est possibile, quæ tamen à logicis non conceditur, etiam si cum actuali passione bene componatur potentia ad cursum, & solùm attendi debet ex conjunctione utriusque forme, oppositæ simul, in eodem subiecto, & pro eodem tempore, que conjunctio cum sit impossibilis, ideo negari solent hujusmodi propositiones in sensu composito, sedentem currere est possibile, possibile est albi esse nigrum, quia tunc sensus esset, inquit Doct. propositiones hujusmodi, album est nigrum, sedens est ambulans, esse possibile; quam sensus compositi declarationem etiam Auctor iste in suo secundo notabili adducit ex Scoto 1. d. 39. G. & d. 40. B. cum ait, quòd sensus compositus est solùm una categorica, cuius subiectum est voluntas sub actu volendi pro A. & predicatum est eadem voluntas cum suspensione prædicati, & iudicium actus pro A. ubi autem impossibile, voluntatem velle, & non velle pro A. ita ibi; quibus verbis, & ipse tateret, sensum compositum attendi debere ex conjunctione formatum compositum in eodem subiecto, & pro eodem tempore, non autem ex conjunctione unius forme in subiecto cum potentia ad oppositum. Sed ex hoc, quòd stante decreto prædestinationis & electionis ad gratiam efficacem finalem prædestinatus liberè præbet assensum gratiæ excitanti, ita potest dissentire, non sequitur, quòd sit volens, id est gratiæ consentiens pro A. hoc est, pro eo instanti, quò excitatur, & movetur, & quòd non sit volens, id est dissentiens pro A. quòd requireretur, ut prædestinatus in sensu composito dici possit damnari; sed tantum sequitur, quòd sit volens pro A. cum potentia non volendi distincti, ita quòd habeat simulatam potentiam, non potentiam simulatam; sed hæc conjunctio forme cum potentia ad oppositam in eodem subiecto non facit sensum compositum, sed divisum, ut Auctor in illo secundo notabili bene declarat ex Scoto dicens, sensus verò diviso sunt dua propositiones categoricæ de eadem voluntate duæ prædicata opposita pro eodem instanti voluntatis, non tamen ambe de esse, sed una de ineffe, ut voluntas volens pro A. altera de possibili, ut voluntas potest non velle pro A. & significat, quòd voluntas pro eodem instanti, pro quo vult, adhuc retinet potentiam ad suspensionem actus; ita ille. Itaque ad argumentum concessio antecedente, quòd stante decreto prædestinationis ad gratiam, & gloriam, adhuc prædestinatus liberè præbet assensum gratiæ excitanti, negatur consequentia, quòd scilicet prædestinatus damnari possit in sensu composito, quia conjunctio forme in eodem subiecto cum potentia ad oppositam, qualis solùm sequitur ex illo antecedente, non facit sensum compositum, sed divisum, alioquin hæc etiam esset vera in sensu composito, sedentem ambulare est possibile, quia cum actuali sessione stat potentia ad ambulandum; ex quo infero, Auctorem optimam præmississe in not. 2. declarationem sensus compositi, & divisi, sed minus consequenter ad eam conclusionem deduxisse.

Hanc solutionem insinuat arguis his verbis; Respondet Adver-